

esse eandem speciem specialissimam, in Commodato verò idem individuum. Vid. HOPPIUS *Comm. ad §. 2. f. quib. mod. re contrah. oblig.* & in materia de Legatis, HOPPIUS *loc. cit. ad §. 22. de Leg.* Eodem in sensu etiam Philosophi Ramistæ hosce terminos sumunt, ad vulgarem loquendi usum respicientes, quo v. g. genus hominum dicere solemus. Vid. RAMI *Dialect. Lib. I. Cap. 27.* in eam AUDOMARI TALÆI *Prælectiones.* Verum ad hanc acceptionem in nostra Disputatione attendere opus non esse, apparet, quandoquidem alias sensus theseos affirmativæ foret: Hominem regenitum & irregenitum numero differre; quod de diversis quidem subjectis verum est, de eodem autem atque uno subjecto si affirmaretur, nihil forte absurdius inventari posset. Qvia autem idem homo, qui irregenitus ante fuerat, regenitus fieri potest, ad hoc quam maxime respiciendum esse, ducimus. Proinde omnis disputatio huc redit: An hominis regeniti & irregeniti duæ diversæ sint essentiæ, per quas in dupli peculiari esse constituatur, ac regenitus, qui ante irregenitus erat, à se eodem ipso essentialiter diversus sit?

CAPUT III.

KATAΣΚΕΤΛΣΤΙΚΟΝ.

§. I.



Valis in tractando nostro Problemate:

*An homo regenitus & irregenitus specie differant, nec ne? observandus sit controversiae status, ha-
stenus perspicue ac sufficienter declaratum arbitramur, ut nunc in discussione illius eò feliciùs progredi liceat. Ubi quidem veriorem ante sta-
bilire contradictionis partem placet, quò facili-*

ori deinceps operâ contradictionia ejus refutetur. Veritatis namque confirmatio falsitatis refutatio est. Monendum tamen adhuc ducimus, perinde semper futurum, sive de uno subjecto seu individuo hu-
mano ex irregenitorum ad regenitorum statum traducto, sive de diver-

E

sis sub-